Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1403

Quelle:
Copyright:

nae, ut adeo noſtrum geminum videatur illi, cujus Capita enumerat *Echardus cit.* T. I. p. 738. Ubi tamen illius Exemplum ait: Judaeos jam *plusquam mille trecentis annis* incaſſum ad Deum clamare, noſtrum *annos* numerat *mille CCCCIII.* Exemplum vero impreſſum in collectione *Günth. Zeiner Auguſtae* cum *Thoma de Kempis f. a. f.* non niſi *plus quam mille annos* adſignat, et quanquam in duas Partes, ut oportet, diſtinctum ſit, multo tamen etiam noſtro ſuccinctius eſt. Illud addo: Praefatiunculam, quae in *Cod.* noſtro DCXV. praefixa eſt hoc initio: *Tolle arma tua* &c. in mox memorata *edit.* occurrere ante ſecundam P. ſeu *Probaciones novi teſtamenti ex veteri teſtamento.* Ultima in *Cod.* noſtro praeſenti ſunt: *non quieſces neque erit requies veſtigio pedis tui Amen Explicit thalmut et cetera.*

CCCLXVI.

551 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 314. 4. a Variis currente calamo exaratus haec complectitur: I. *Excerpta*, ut in calce, *de Thalmuth.* Initium: *Talmut id eſt doctrina diuiditur in IIII. libros quorum quilibet appellatur Cezer* &c. Atqui nec IV. ſed VI. neque *Cezer* ſed *Seder* ſcribere debebat Librarius. Ita et alia paſſim corrupta ſunt in Libello, cujus ſcopus, craſſiora *Rabbinorum* σφαλματα confutare. Priorem ejus partem circa a. 1473. typis vulgavit in Collectione Opuſculorum quadam *Güntherus Zeiner Aug. Vindel. f.* inſcriptam *Errores Judeorum extracti ex Talmut.* Totus vero continetur, licet diverſimode ordinatus et interpolatus in *Pharetra* illa *Fidei* tributa *Theobaldo* cuidam O. P. cujus Exempla dedimus jam *Codd.* praeced. et pluribus aliis. Itaque hic tantum noto, Librarium noſtrum Opuſculo majorem aetatem adrogaſſe, quam aut ſcribendi ratio ſcholaſtica aut aliorum Codicum fides patiatur, ubi enim is: *Nunc autem omnino proiecit eos deus, quia plus quam mille annis clamauerunt ad Dominum nec liberat eos de manibus Chriſtianorum*, alii *mille trecentos* et plures annos ponunt.

II. *fol.* 10. Series Quaeſtionum Theologicarum methodo ſcholaſtica pertractatarum de diverſis materiis, quas nomine *Diſputationum Aularium* per Feriarum aeſtivarum tempus diebus Veneris ſub *Priore*, ut vocabatur, *Collegii Ducalis* ventilatas fuiſſe a Theologis *Viennenſibus* cum *Quaeſtio fol.* 47. inſcripta *Domino Priori*, tum *Orationes* II. iis interjectae, de quibus mox, ſuadent. *Quaeſtionum* prima eſt: *Vtrum culpa ſecundum ſe magis mereatur ſupplicium, quam iuſticia premium?* Dogmaticis mixta ſunt Moralia.

III. *fol.* 121. et 125. *Orationes* II. quarum Prior incipit: *In preſenti actu primo inſtancium vacacionum iuxta laudabilem conſwetudinem huius Collegij duo*

ſunt